

*G. Schembri*

*P.B. 16.22*

# IOSEPHI ZAMMIT

SACERDOTIS MELITENSIS

*177*

## CARMINA ET INSCRIPTIONES.

PARS I.

### CARMINA.



*J. Charbon*

MELITAE

TYPIS ZEPHYRINI MICALLEP.

AN. MDCCCLXIV.

All' egregio ed antico Amico  
Il Signor Vincenzo Grech  
a segno di stima  
L'Autore.





G. Calleja disegno

G. Tropani incisore


Propter ego fortunae stultitiaeque flagello  
Ingenio parata est gloria ceras mihi  
Josephus Zammit

177

# IOSEPHI ZAMMIT

SACERDOTIS MELITENSIS

## CARMINA ET INSCRIPTIONES.





# IOSEPHI ZAMMIT

SACERDOTIS MELITENSIS

## CARMINA ET INSCRIPTIONES.

P A R S I.

### CARMINA.



— Neque, te ut miretur turba, labores,  
Contentus paucis lectoribus. *Hor. L. I. Sat. X.*



MELITAE

TYPIS ZEPHYRINI MICALLEF.

AN. MDCCCLXIV.



AD LECTOREM

INDOCTUM DOCTUMVE.

---



EPIGRAMMA.

Non haec percipiens, Lector, mea carmina, forsan  
Fastidis librum dejiciesque manu,

Dejice: sic rutilam baccam despexerat olim  
Pullus, cui multo carior esca foret.

At si delectant Latiae te carmina Musae,  
Et mea frustrantur spes male culta tuam;

Mutatis vicibus, tu fulgida bacca micabis,  
Atque ego gallinarum e grege pullus ero.





TIBI  
BEATISSIME PATER  
MAXIME PIE  
PRINCEPS AUGUSTISSIME

ECCLESIAE IURIUM VINDEX FORTISSIME  
QUOS S. PAULLUS AP. PER EVANGELIUM GENUIT  
AD MAIESTATIS TUAE SOLIUM PROVOLUTI

**MELITENSES**

SOCIETATIS AD B. PETRI STIPEM AUGENDAM  
FRUCTUM NOSTRAE CATHOLICAE FIDEI  
PEREXIGUUM SANE PIGNUS  
AT NOSTRI ERGA TE AMORIS ET REVERENTIAE  
SIGNUM CERTISSIMUM  
TUIS FIGENTES OSCULA PLANTIS  
HUMILLIME OFFERIMUS ATQUE DONAMUS.

~~~~~

Suscipe, Christiadam Rector populi atque Magister,  
Quae parva offerimus munera, Magne Pater.


Non quae donamus (nimium sunt tenuia certe)  
Aspicias: sed Tu cor. animumque vides.

Si equiparare Tuum vellemus munere Nomen,  
Orbis terrarum non foret ipse satis.

Vel Christo placuit viduae acceptare quadrantem,  
Nec quae hilares dedimus respuit ipse Deus.

Sic Tu natorum, Pater Optime, parva Tuorum  
Numquam despicias munera quae dat Amor.

HONORABILI VIRO  
**RICHARDO MORE O'FERRALL**  
MELITAE GUBERNATORI  
REDEUNTI AB ANGLIA AD MELITAE INSULAE REGIMEN  
V. IDUS NOV. AN. MDCCCXLIX.



Orbe jam pleno rubicunda Phoebe  
Ter resurgebat rutila inter astra,  
Ipse cum visis Meliten Britannis  
Denuo tangis.

O redis tandem! tacitis ab undis,  
Sol, caput tolle irradians: Olympo  
Juppiter nubes abigat, nec arva  
Verberet imber.

Nostra Richardum incolumem redisse  
Cum suis multo fremitu faventum  
Gestiat tellus, resonentque fausto  
Compita plausu.

Hic premit vindex scelerum rebelles  
Debitis poenis, fideique cultor  
Ipse virtuti sua donat aequa  
Praemia lance.

Magne Vir salve! Exhilarata circum  
En tuo aspectu ut Melite canoros  
Concinat cantus reduci tibi que  
Gaudia pandat!

Infremat livor! Vacuus diebus  
Tuque perpaucis, regimen relinque  
Omne jam rerum, placidusque nostros  
Excipe plausus.



AD CLARISSIMUM DNUM.  
JOSEPHUM REGALDI

POETA EXTEMPORALEM.

DIE 7 JAN. 1850.

EX TEMPORE.

Quae meditata diu Vates, o maxime vatum,  
Dicunt, tu extemplo mira, Regalde, canis.

BRITANNIARUM REGINAE

ADELAIDI

ODE

Fata riserunt MELITAE—Propinquat  
Maxima en Regum ADELAIS—Corollam  
Flore vincturam nitidos, Camoenae,  
Ferte capillos.

Quanta Majestas rutilat!—Scabello  
Spectat e celso miseros: superque  
Aurea emanat locuplete rerum  
Copia cornu.

Heu! genus durum pereant tyranni!!  
Di malos perdant!—Vigiles superbus  
Transigit noctes! quietis experts  
Tempora ducit.

Quid juvant vani tituli?—Sed orbis  
Jam Tibi en ingens ubicumque plaudit:  
Jamque habet clarum, ADELAIS, triumphis  
Nomen olimpus.

Hinc Amor gestit MELITAE Tuarum  
Ecce virtutum socius.. Quid umquam  
Carius dulci Tibi possit esse  
Gentis Amore?

REGIO PRINCIPI

ALFREDO

MAGNAE BRITANNIAE

REGINAE VICTORIAE

AUGUSTO FILIO

QUI CHOREAS IN EIUS HONOREM CELEBRATAS

IN MELITAE COMMERCIORUM AEDIBUS

ADVENTU SVAE REGIAE EXCELSITATIS EXHILARABAT

DIE XXVII DECEMBRIS AN. MDCCCLVIII

COLLEGIUM NEGOTIATORUM.

~~~~~  
EPIGRAMMA.

Angligenum Proles salve ALFREDE inclyta Regum:  
Ut laetentur per Te undique, cuncta vides.

Parva quidem Melite, atque offert Tibi munera parva,  
Ast dat laeta Tibi cor animumque suum.

O vere nimium Melite parva insula felix,  
Cui datur optato Principis ore frui!

Festivas hodie Choreas, spectacula praebet,  
Quae coram gaudes Tu decorare bonus:

Forte Tuos quondam at poterit celebrare triumphos,  
Te spectans terrae, Te Dominumque maris.



ALBERTO EDUARDO

PRINCIPI VALLIAE

AB IPSA ORIGINE

BRITANNIAE IMPERIALIS POTESTATIS HEREDI

POST LONGAM PEREGRINATIONEM

AB INSULA MELITA

ANGLIAM PROPECTURO

VII. IDUS IUNIAS AN. MDCCCLXII.

MELITENSES

EX ANIMO IPSISQUE PRAECORDIIS

VALE DICUNT.



Grande decus, Magnaeque Britannidis inclyta Proles,  
Heroum clarum magnanimumque genus:

TE Melite tandem conspexit, MAXIME PRINCEPS,  
Et nova laetitiae insuetaque signa dedit.

Jam discedenti felix iter illa precatur:  
Oh TU tecum animum cordaque nostra rapis!

I; Melite longum TIBI, PRINCEPS, augurat aevum:  
O TE quantus honos, gloria quanta manet!

O salve atque diu vale. TE jam Numina servent,  
Et MATRI reddant et Patriae incolumem.

TU, crede, ex oculis, PRINCEPS CELSISSIME, abibis;  
Sed nostri nunquam laberis ex animo.

ALBERTO EDUARDO

PRINCIPI VALLIAE

VICTORIAE AUGUSTISSIMAE BRITANNIARUM REGINAE

FILIO PRIMIGENO

OB EIUS AUSPICATISSIMUM ADVENTUM

IN MELITAM INSULAM

NONIS JUNIIS AN. MDCCCLXII.

~~~~~  
**EPIGRAMMA.**

Parva TIBI summos haec Insula praestat honores  
Quomodocumque potest, laetaque et ex animo.  
TU infinita potes Melitae dare, MAXIME PRINCEPS,  
Dona: illi sed erit sat Tuus unus Amor.

AD DIDACUM VITRIOLIUM  
VIRUM DOCTISSIMUM

OB QUODDAM. EJUS EPIGRAMMA IN LAUDEM AUCTORIS.

—————  
**EPISTOLA.**

O splendor Rheginae atque inclyta gloria gentis,  
Castalidum turbae, Didace, grande decus:  
Quod mihi misisti ingeniosum Epigramma recepi,  
Quo mihi nil visum dulcius esse potest.  
O quantus lepor, et nitor, o lux quanta refulget,  
Carminibusque tuis gratia quanta micat!  
Et semel atque iterum tua carmina culta relegi,  
Quae sua vel posset Roma putare vetus.  
Haec ego dum miror, dum gaudia pectora replent,  
Hos mea stridentes plectra dedere sonos:



Ergone Mantoï tu Didace carminis ales  
    'Tam blandis gaudes me celebrare modis?  
Tu qui de latia contendens ipse poesi  
    Altisono scripsti carmina mira stilo?  
Tu qui cum multis iniens certamina, solus  
    Innumeros potuisti exsuperare viros?  
Qui juvenis palmam summa cum laude tulisti,  
    Praemiaque ingenio debita jure tuo?  
O quid me indignum, doctissime Didace, laudas  
    Exosum Phoebo Virginibusque novem?  
Desine: namque ego garrula perstrepo noctua versu,  
    Inter olorinos tu canis alta choros.  
Non equidem mereor tanto laudari ore:  
    Ingenio sane dos mihi nulla redit.  
Nascenti certe facilis tibi risit Apollo,  
    Spiritus et auratam tradidit ipse lyram.  
Contra compono invitis ego carmina Musis:  
    Me rapiunt numeri, Cygne canore, tui!  
Quid majus posset Xiphia laudare vetustas,  
    Unde tibi venit, Didace, tantus honor?  
Jamque tuum illud opus mirabile carmen ad astra  
    Tollitur, atque tuum nomen ubique sonat.  
Teque coronatum Phoebeis tempora sertis  
    Per loca cuncta volans nuncia fama canit.  
Desine me laudare igitur nil tale merentem,  
    Desine, magna etenim te decet usque sequi.  
Si tenues ausim hos versus tibi mittere; feci  
    Ne ingrati videar me exhibuisse notam.  
Excipe tu interea haec puerilia, dum ipse stupescens  
    Carmina mirabor ingeniumque tuum.

EX ITALICO

ANTONINI TOSCANO CATINENSI

AD S. IOSEPHUM.

Sedibus e caeli nostros tu percipe cantus,  
Qui pius atque potens regna beata colis.  
Audi... sed potius fletus effundere par est,  
Quam canere. Ah! luctus tempora nostra decet.  
Improbitas atque ebrietas capita alta ferentes  
Nos miseros vexant et sine lege premunt.  
Tu Sponsus Mariae, Jesu Pater, inclyte Joseph,  
Affer opem et clemens dirue turpe genus.

IN FORNICE TRIUMPHALI

AD S. DOMINICUM.

I.

Quos tibi magne Dominice festos vovimus ignes,  
Queis orbem implesti lumina clara docent.

II.

Doctrina et meritis te insignem Ecclesia cantat:  
Quam bene luminibus fulgurat illa tuis!

AD SILVESTRUM NICOSIA

IUVENEM EXIMIUM,

FORMA PRAESTANTI, MUSICES PERITISSIMUM

EX TEMPORE, DIE VI. IUNII MDCCCL.

Pulcher Apollo nitet, modulaminis arte peritus,  
Tu quoque conspicuus munere utroque micas.  
Ars simul et natura tibi sua dona dederunt:  
Quam bene sic Phoebum tu, Nicosia, refers!



EMMAE BINGLEY

GENERE BRITANNAE


CANTATRICI PERITISSIMAE

OCCASIONE THEATRALIS FABULAE

EIUS BENEFICIO CEDENTIS

XIII. KAL. MARTIAS MDCCCXLV.

EPIGRAMMA.



Sidereo, Emma, polo delapsa levare labores  
Venisti huc nostros: nam tibi non hominem

Vox sonat, haud tibi mortalis vultus. Dea, certe,  
An Phoebi soror, an maxima tu Chariton?

Ars simul et Natura tibi sua dona tulerunt:  
Dulce nimis rides, dulce nimisque canis.

Emma, novis numeris, agili voce anteis omnes;  
Prodigium praestas auribus atque oculis.

Si faciem promis, si das modulamina cantus;  
Emma, decora beas, Emma canora rapis.

IOANNI H. FRERE BRITANNO

MULTIPLICI ERUDITIONE LINGUARUMQUE PERITIA


VIRO EXIMIO

DE SUO CONCIVE DIGNISSIMO

GUALTHERIO SCOTT EQ. BAR.

SCRIPTORE POLITISSIMO

CUM MELITAM ADVENISSET AN. MDCCCXXXI.



Quidnam ego, infelix! celebrare sumo  
Pectine imbelli egregii decoras  
Gualtheri laudes, mihi dum faventes  
Denegat auras

Phoebus et multa rabie tumescens  
Me antea suetum cecinisse parva  
Posse lesboum renuit, vetatque  
Tendere plectrum?

Maxime o vatum angligenum, Joannes,  
Cui dedit puram pater ipse vocem,  
Patriae cultor, latiaeque linguae,  
Praecepte cantus.

Frere, Maecenas genere ac avorum  
Nomine insignis, titulisque magne,  
Extulit quem jam generosa ad astra  
Incluta virtus:

Cui impedit laurus viridans capillos,  
Quemque doctarum hederæ Maroni  
Frontium et Flacco, Iliadosque Cyno  
Praemia miscent:



O mihi, Vates, faveas, tuoque  
Spiritu pectus repleas, et ecce  
Protinus conor tenuis potenti  
Grandia nisu.

En vide ut fastu Melite superbo  
Stet triumphatrix oriens ab undis,  
Cum in sinu magnum recipit britannum  
Parvula civem.

Gualtheri salve decus o Tuorum,  
Dissitis cujus memoratur oris  
Nomen, et Pindi recinit jocosa  
Montis imago.

Gallici multo ex numero exarantùm  
Res Ducis gestas, probus aestimator  
Jure te rerum historia et canit po-  
emate dignum.

Sique quaesitam meritis inique  
Invidus palmam tibi denegabit,  
Fama te extollet, tuaque explicabunt  
Scripta vigorem.

Sola jam novit tua mens vel ipsam  
Fabulam multo decorare cultu.  
Unde virtutis, duce te, magistra  
Fabula facta est.

Hactenus spretum genus hoc jacebat,  
Utile at dulci catus ipse miscens,  
Gualtheri, mores facilis reformas,  
Scote, juventae.

Quidnam ego tantum aggrediar laborem?  
Qui potis quercus fidibus canoris  
Ducere auritas operosa fingens  
Carmina vates;


Frere, facundis numeris Amicum  
Tu potis doctus celebrare, tuque  
Tam Viri magni uberiore laudes  
Dicere vena.

---

AD NAVEM

QUA GUALTHERIUS SCOTT MELITA PROFICISCENS

NEAPOLIM VEHEBATUR.



Sic te sic pelagi potens  
Numen velivoli, Tyndaridae maris  
Fratres fulgida sidera;  
Obstringens Boream carcere mitior  
Sic te dirigat Aeolus,  
Emissio Zephyro, quae tibi creditum  
Debes Gualtherium, ratis:  
Reddas conspicuis Parthenopes, precor,  
Oris, et decus inclytæ  
Serves Gualtherium grande Britannidis,  
Quo vix vidimus alterum  
Majorem studiis. Parvula gestiens  
Oh quanta, Melite, excipis  
Doctrina eximios laetitia viros!



Gaude et jure quidem, loco  
Te quamvis italus carmine dixerit  
Obscuro ac humili sitam  
Vates e mediis aequoribus caput  
Tollentem: Charites tamen  
Te ornant, Nympha maris. Plurimus advena  
Laeto lumine conspicit  
Munitam validis aggeribus stupens:  
In te non amor artium  
Torpet, non Sophiae: mens bona civium  
Fulgetque ingenium sagax.  
Ast o tu solvis jam retinacula,  
Jam jam tollitur anchora,  
Et portum properas impigra linqvere.  
O salve atque diu vale!  
Te semper placidam numina sospitent!  
O navis vale, cui datur  
Tantum efferre caput! pondus amabile,  
Claro nomine praeditum,  
Tu fers Gualtherium: Te zephyri leves  
Faustis flaminibus ferant.  
Sic tu quae mare, forsitan  
Quondam nobilior sidera naviges.

~~~~~  
IN VILLA AMICI.

Heic pax, heic requies, miserarum oblivia rerum,  
Cara heic libertas, deliciaeque meae:  
Heic aer recreat, caelum nitet, unda quiescit,  
Vernant prata, canit garrula carmen avis.  
Tam dulci vultu rident heic omnia circum,  
Ut dis haud laetos invideam Elysios.

HENRICULAE SGARGI

IN REGIO MELITENSI THEATRO

CANTATRICI CELEBRATISSIMAE

QUAM SI ACUTIORI VOCE

AD HARMONIAM AUDIERIS CANENTEM

PRIMAM FACILE DICES

DIE XXX. IANUARI AN. MDCCCLXIV.

EIUS BENEFICIO DESTINATA

ALACRITER MELITENSES

PLASU FREMITUQUE FAVEBANT.

EPIGRAMMA.

---

O quam cara places, dulcis HENRICULA, nobis!  
Et Cygnus variis et Philomela modis

Dant cantus. Animam numeris rapit ille canoris,  
Concentu querulo cor ferit ista suo.

Ast tu quam volitant Charites, HENRICULA, circum  
(Perfida rumpatur, rumpitur invidiâ)

Unica vibrissans, fundensque e gutture voces  
Tu nobis animam, solaque corda moves.

Talia (quis neget?) in caelis modulamina cantus  
Felices animas, agmina dia, beant.



EPIGRAMMATA QUINQUE

EX ITALICO EQ. AGATHINI LONGO

PHYSICORUM PROFESSORIS IN ATHENAEO CATINENSI.

I.

**Gentis Judaicae dispersio.**

Concidit heu! Templum ambustis, gens perfida, muris,  
Et versa in cineres tecta superba jacent.

Omnia miscentur misere: undique sanguis et horror;  
Horridius visu quo nihil esse potest.

In te praecipites incircumcisa furores,  
Et rabiem evomuit gens maledicta suam.

Jamjam personuit fatalis funeris hora,  
A Domino quondam vaticinata tuo.

I nunc extorris cuncti ludibria mundi  
Absque ara huc illuc et sine rege vagans.

I Quocumque lubet: tu infandum crimen inustum  
Usque tuae fronti, gens deicida, geres.

I gravibusque gemens late loca questibus imple,  
Ulciscens Justi probra necemque Dei.

II.

**Caedes innocentium infantulorum.**

Lamentis gemituque et femineo ululatu  
Audio bethlemias personuisse vias.

Exoritur clamor, voces reboantque doloris,  
Queis imo e fundo vallis hebraea sonat.

Proh dolor! a diro sua cara satellite matres  
Pignora defendunt. Et caput atque humeros,

Et brachia et crura et centum centumque pusillis  
Barbara turma secat. Trux jubet ista Baal.

Horrentem cladem praesaga mente Prophetes  
Vidit et *in Rama vox, ait, insonuit*

*Moesta nimis: Rachel plorat sua pignora, nolens  
Solari super his, victa dolore jacet.*

Sed quid? si immortalis animae nunc luce reident  
Cum Patre ducentes saecula beata Deo?

### III.

#### Jesus in Cruce moritur.

Augustum inflexit caput, et mors vulnere corpus  
Confossum propius suspiciosa notat.

Expirat Jesus, animamque e vertice ligni  
In patris ponit prodigus ipse manu.

Tantarum aspectu rerum natura perhorret,  
Ipsiusque diu stat dubiosa sui.

Almaque lux solis tetra ferrugine hebescit,  
Mugitusque ciens terra pavore tremit.

Scinditur en Templi velum, monumenta patescunt,  
Ad vitam assurgunt corpora multa novam.

Extollunt frontem longo torpore gravatam,  
Et referunt prisci talia voce Patres:

*Heu! stulti mortem nos, nos conscivimus olli:  
Rursus et in tumultis se occulere suis.*



IV.

**Juditha in Holofernis tentorio.**

Multis expletus dapibus, vinoque sepultus,  
Horrenda immersus membra sopore gravi  
Dux jacet assyrius, lodicibus inque volutus  
Terrificos stertens efflat ab ore sonos.  
Juditha evigilans placide sua lumina circum  
Vertit et aspectat Femina casta truce.  
Quique Deum mox blasphemaverat omnipotentem,  
Jam videt obscoenum semihiante labro  
In lecto stratum: dextram ocyus instruit ense,  
Laevaque incomptas arripit ecce Ducis,  
Et rigido tenet ungue comas: hinc evibrat ictum,  
Abscidit ingenti corpore turpe caput,  
Et capite immani gravidam, solemne tropaeum,  
Ancillae peram tradidit illa suae.

V.

**Transitus maris rubri.**

Aequora percussit Moyses, scissaeque repente  
Jam gemini steterunt aggeris instar aquae:  
Tramitibusque novis, bifidum quos fecerat aequor,  
Trajiciunt siccam foemina virque viam.  
Perfidus a tergo populum insectatur euntem,  
Et pariter Pharao tentat adire vadum.  
Urget blasphemans, distringit et Israellem,  
Qui sicco medium jam pede tangit iter.

Jamque petit ripam: pelagusque repercutit: unda  
Inque suos gestit jussa redire sinus:

Quadrupedesque equitesque, virum arma, bigasque,  
(pharetrasque  
Immani rapidus vortice fluctus habet.

Et barathro Regem atque absorbit unda phalanges,  
In nihilumque abiit mens furibunda Ducis.

~~~~~  
IN FUNERE MARCHIONIS DE HASTINGS

MELITAE GUBERNATORIS

EDUARDUS BAYNES ANGLUS

HOC DISTICHON EDIDERAT,

CUI SUBJECTA FUIT RESPONSIO AUCTORIS.

India dives famam, magna Britannia prolem,  
Pauper sed Melite, parvaque busta tenet.

**Responsio.**

Quod dives gemmis et messibus India famam,  
Quod teneat proles Anglia magna, bene est.

Esse tamen Meliten inopem, parvamque negabo,  
Et tali exclamans eloquar ipse modo:

Parva situ est Melite, rebus sed maxima gestis;  
Pauper, sed doctis non tamen illa viris.

Sic quod natura atque levis fortuna negarunt,  
Virtute et summis praestitit ingeniis.



EX ITALICO IOANNIS ANTONII VASSALLO I. U. D.  
IN ATHENAEO MELITENSI CULTIORIS ITALICAE LITTERATURAE  
PUBLICI PROFESSORIS.  
IN S. PUBLIUM M.  
PRIMUM MELITENSIVM EPISCOPVM

EPIGRAMMA.

Nomen dulce tuum nobis et Relligionem  
Et Patriam memorat. Patria, Relligio,  
Oh, quae nam, Publi, divina in pectore nostro  
Sensa ciant, miris laetificantque modis  
Mentes et rapiunt natorum corda tuorum!  
Tu primus civis, gloria Tu Melites,  
Verba Evangelii quae hausisti primus ab ore  
Paulli, Tu Pastor nos retinere facis.  
Et Melita et norunt urbs ingratiſſima Athenae,  
Qualis eras fidei cultor amansque Dei.  
O fac, Dive, fides, firme quam semper amasti,  
Obsignata tuo dia cruore fides,  
Fac numquam, Publi, patria tellure recedat,  
Pro qua pulcrum est vel nos potuisse mori.


QUANDO

IN FESTO B. MARIAE PUERPERAE PERLITANTIS

ANNO MDCCCXLVI.

M. C. A. SOLEMNIBUS VOTIS

SE VIRGINEM DEO OBLIGABAT.



Ceu quondam Solymis caelo properastis ab alto,  
Cum offerret sobolem Virgo beata suam;

Aligerûm huc properate chori de vertice Olympi,  
Dum se offert hodie casta puella Deo.

Ecce Maria venit: Sponsi festinat ad aram  
Purpureis fulgens tempora cincta rosis.

Flammatoque gerens vulnus sub pectore, flagrat  
Oscula Dilecto figere mille suo.

Sponsa veni, almus Amor clamat: terrenaque spernens  
Ad gremium Sponsi concita amore volat.

Aligerûm huc properate chori: quis viderat illi  
Virtute insignem vel pietate parem?



IN S. PAULLUM AP.

AD INSULAM MELITAM

NAUFRAGIO APPULSUM.



EPIGRAMMA.

En Paulli Navis! Quantis heu turbidus aether  
Dira movet minitans praelia fulguribus!

Hinc proram fluctus, boreas puppim insilit illinc,  
Horrisonisque ferit carbasa turbinibus.

Heu! jam vicit hiems: navis quassata dehiscit,  
Littora cum sociis advenit incolumis

Paullus: et ipse tonans sternit simulacra Deorum,  
Atque Evangelii fundit ubique jubar.

Tota stupet Melite, atque errorum nube fugata,  
Grata Deo tantum gaudet habere Patrem.

O felix gaude! ferratas namque catenas  
Rumpens, te superûm sedibus adseruit.

Gaude: nequicquam turma infremit impia: Paullus  
Pro te nam vindex instruit ense manum.

IN FUNERE

IOANNIS HOOKHAM FRERE

VIRI DOCTISSIMI

EPICIDIUM.

Maximus vatum, Melitae JOANNES  
Gaudium nuper, dolor atque cura  
Non levis nobis superest, Britannae  
Gloria gentis:

Flebilis multis cecidit! repente  
Atropos nostrum decus omne ademit:  
Quam cito gressu heu miserum sequuntur  
Gaudia luctum!

Occidit! Plectrum siluit canorum;  
Ingenti clarae stupuerè vires:  
Ingemit Pallas, rigidumque fatum  
Luget Apollo.


Pondus ast, o Mors, fragile abstulisti:  
Namque mens numquam moritur: vigetque  
Fama in aeternum sapientis aevum  
Nescia fati.



PIO IX. P. M.

PRINCIPI BENEFICENTISSIMO  
POST XVI. MENSIVM PEREGRINATIONEM  
PROFLIGATIS CATHOLICAE FIDEI HOSTIBUS

CAIETA ROMAM REDEUNTI  
DIE XII. APRILIS AN. MDCCCL.



Concidit tandem Babylon! Latronum  
Agmen infelix abiit, fugamque  
Turpiter turmae arripuere ab alma  
Urbe rebelles.

Quam gravi casu impietas! Tyrannis  
Quam ruit tristi furibunda lapsu!  
Jam fides et fas, rediitque Vindex.  
Relligionis.

O Petri gaude veneranda Sedes!  
En Pius regnat! roseisque secum  
Et salus et pax redimita sertis  
Aurea regnat.


Inclyte o Princeps, Pater atque Custos,  
O diu vivas hominum voluptas!  
Tu probam exaltans potis es superbam  
Perdere gentem.

Si Deus tecum, scelerata frustra  
Agmina erumpunt: fremit inferorum  
Turba, sed semper Fidei Cathedra  
Firma manebit.

EX ITALICO ALOISII RIGORD S. I.

POETAE MELITENSIS

DE CHRISTO NATO.



Nox erat, atque insueto lux splendore coruscans  
Somno me excierat cum grege lanigero.

Dulcior arguto trepidabat murmure rivus,  
Pictaque ridebant prata colore novo.

Sumo agnum, meque illum mactante, undique turba  
Pastorum, natum clamitat esse Deum.

Ad praesepe omnes properamus: numen adoro  
Mactatumque agnum defero dona Deo.

Hunc spectat Puer, ast tam intentis spectat ocellis,  
Ut mihi sit visus dicere: Thyrsi, placet.

Aspicit ad Genitricem, subridetque Puellus:  
Dona videt Mater, displicuisse docet.

Hinc Puerum aspectat, pallet pariterque rubescit,  
Plurima corde agitans ingemit atque tacet.



EX ITALICO GABRIELIS ROSSETTI

POETAE EXTEMPORALIS

AD ALOISIUM RIGORD S. I. POETAM LUMINIBUS CAPTUM.

EPIGRAMMA.

Cum Phoebus sollers cantus, pater atque diei  
Te vidit, Lodoix, tam similem esse sibi;

Ut mens humana haudquaquam dignoscere posset,  
Amborum quisnam sit Deus et quis homo;

Non Phoebum, sed Homerum illum volo, dixit: et ecce  
E caelo auratis labitur ipse rotis:

Nube oculos textit, cinxit tibi tempora lauro,  
Te esse sinens vatem sustulit ipse diem.

---


SUB EFFIGIE

**MAGNAE MATRIS CARMELITIDIS.**

Virgo Carmeli, pateat mihi janua Coeli  
Fac te orante Deum, et crimine solve reum.

IN CENSORES

EX ITALICO IOANNIS FANTONII



Maevii, linguam cohibete: Phoebi  
Ira fervescens mihi in ore fulget:  
Invidae turbae, trepidate: risor  
Luditur ipse.

En ego cerno insidias paratas,  
Et venenatae maledicta linguae  
Audio, quae mox maris instar undae  
Dissipat eurus.

Plecterem sane: id faciant inertes,  
Non ego: frango jaculum Lycambis:  
Haud meae dignos reor ultionis:  
Parco libenter.

Non timet princeps probra vestra virtus,  
Quae cito vanas abeunt in auras:  
Fama me numquam peritura blandis  
Allicit alis.

Quas solent sylvas habitare nymphae  
Me juvant: at vos fluvius focillat  
Marsyae foetens: odiosa abhorrent  
Littora Musae.

Cycnum ego in terris imitabor album,  
Vosque ridebo genitos lutosa  
Faece, dum caecis sine honore corvi er-  
rabitis umbris.

Sed tremit tellus! strepitant procellae!  
Aethra caligat! radius coruscat  
Luce funesta—Invida Maeviorum  
Turba sileto.



IESUS INFANS IN PRAESEPI.

Ecce Deus fit homo, ipse ut homo ad caelestia surgat:  
Quid potuit majus volvere divus amor?

---

AD EFFIGIEM MARIAE PERDOLENTIS.

Virgo, cui cor septemplex pertransiit ensis,  
Nonne tibi, Mater, plus satis unus erat?

---

AD S. PAULLUM AP.

Tu Melitae quondam serpentum ex ore venenum,  
Nunc ex lingua hominum tolle venena, Pater.

---

AD EUMDEM

FORIS SUPRA PORTAM SACRARIJ ECCL. S. PAULLI AP.

Donec erit Melite, Pater inclyte Paulle, manebunt  
Heic semper laudes, nomen, honorque tuus.

IN ICONE S. PAULLI AP.

EPIGRAMMA.

Navifragum, Melite, excipis ad tua littora Paullum:  
Pro meritis sanctam te docet ipse fidem.

Sic tu cum Paulo servasti ex aequore vitam,  
Te aeternam vitam Paullus habere dedit.

~~~~~  
IDEM ARGUMENTUM.

Paulle, tuam audit adhuc docilis Melite insula vocem,  
Qua patuit verum gentibus esse Deum.

Tuque etiam nunc, o Pater optime, protegis illam:  
O tanto felix insula cara Patri!

~~~~~  
SUB EFFIGIE S. IOSEPHI.

EPIGRAMMA.

Quis major te, quisve potentior extitit umquam?  
Tu Mariae Sponsus, tu Pater ipse Dei.


Protege nos ergo, Joseph sanctissime, semper,  
Nobisque e caelo gratia cuncta venit.



AD S. PAULLUM APOSTOLUM

IN MELITAM INSULAM

DIVINITUS TEMPESTATE APPULSUM.



Gentium Doctor, hominum institutor,  
Paulle, et o Custos, Melitae Paterque,  
Qui Dei terrarum ubicumque veri  
Lumina sparsti :

Te canam... at quisnam rapidum corusci  
Delii cursum potis aemulari,  
Quae ipse gessisti ut valeat canoris  
Pangere plectris ?

Ipsa consurgens, pariter cadensque  
Phoebus aspexit tua gesta ubique,  
Et potens Roma, et stupuere Athenae  
Verba loquentis.

Post tot emensos pelago labores,  
Tot pererratos populos ; flagrabas  
Emori ponens animam pro Iesu  
Nomine martyr.

Sed Dei leges latitant, et ipsum  
Huc oportebat properare: tandem  
Insulae accedis Melites, jubente  
Numine, ripas.

Fortis in puppi adfueras: minister  
Aliger salvum docet affuturum,  
Cum niger circum fureret minaxque  
Turbo procellis.

Insonat praeceps Adriae profundum,  
Verberat navim, tabulisque fractis,  
Cum tuis, Paulte, incolumis subisti  
Littus amatum.

Ecce et ad ripas celerare tendit,  
Barbarus quamvis, populus frequenter,  
Et suis laetus laribus benigne  
Excipit hospes.

Hinc profanorum penitus Deorum  
Incipis cultum et dare fana pessum;  
Intonas Jesum, docilesque cuncti  
Numen adorant.

O dies numquam reticenda nobis,  
Laetior semper redeas! adesto  
O dies gaudis nimium serena,  
Foeta triumphis!

Audiat caelum, mare, terra, et aer  
Annuos ritus Tibi quos dicamus:  
Tuque sis nostrum columen, tuamque  
Protege gentem.



Hactenus semper bonus affuisti,  
Teque in adversis populus vocavit,  
Cum Pater Divûm minus audiebat  
Vota precantum.

Vidimus nostros agitare campos  
Barbaras turmas, rabidos tyrannos,  
Pluries pestem, mala quaeque nuper  
Asia misit:

Vidimus, terra sitiente, caelum  
Aeneum: arebant segetes, et eheu!  
Prata squalabant: ubicumque moestam  
Vidimus urbem.

Ipsè sed nostram miserans ruinam,  
Fervidis motus lacrimis piorum,  
Rebus in duris subitum tulisti,  
Pauille, levamen.

Jam vide quanta impietas laborat  
Hunc gregem tectâ lacerare fraude,  
Quem sacri ad vitam genuisse nixus  
Flamine Verbi!

Vertice e celso superûm obtuere,  
Et vide circum insidias luporûm:  
Undique oppugnant: miseramque nostram  
Respice sortem.


Paulle, Tu quondam stygios fugasti  
Daemonas: hinc jam procul hinc, precamur,  
O Pater, turpes hominum malorum  
Disjice turbas.

Dirue osores Fidei nefandos,  
Hostium motus cohibe, et perenni  
Fac tui, Paulle, o Pater alme, gnati  
Pace fruamur.

Fac niger numquam Satanus triumphet,  
Ut velut faustum, Duce Te, inchoavit,  
Sic Deo semper Melite fidelis  
Compleat aevum.

~~~~~  
MAGNAE DEI MATRI

MARIAE CARMELITIDI



Littore eoo rubicunda surgens  
Roscidas Aurora refert quadrigas,  
Et polo expulsis retegite tenèbris,  
Lumine terras.

Alma lux venit: reseratur Aedes  
Virginis princeps. Decorata circum  
Virgo solemnè bene quam refulget  
Incluta cultu!



Cerei ardentem radiant, facesque,  
Emicant lychni, thymiana fragrat,  
Millibus suavem redolent odorem  
Floribus arae.

Aethra campani reboat repulsu  
Aeris, et gentes properant ad Aedem  
Vota facturae, resonatque plectri  
Foedere cantus :

“ Virgo, Carmeli super alta montis  
Quam pii quondam coluere patres,  
Una jam nobis statio salutis,  
Perfugiumque :

“ Mater et Virgo intemerata salve,  
Orta collapsum renovare saeculum,  
Gratia pollens aperire clausum  
Limen Olympi :

“ Salve io victrix scelerum, Patrona  
Gentis humanae, Domina angelorum,  
Stella io salve, jubar unde fulget  
Luce perenni.

“ Palma Te signat, Rosa, Liliūmque,  
Hortus et Vellus, Rubus, Arca, et Iris,  
Parva Te Nubes riguis inundans  
Imbribus agros.

“ Salve io Virgo, Genetrix Tonantis,  
Quae regis caelum dominante sceptro,  
O salus aegris, miserum levamen,  
Gloria mundi.”

Hinc sonant dulces citharae, canorae  
Buccinae clangunt, animosque mulcent,  
'Tota concentu, reboatque festis  
Cantibus Aedes.

Jamque nox venit: rutilus triumphans  
Surgit en arcus radians lucernis:  
Et viri et matres, pueri puellaeque  
Omnia complent.

Musica auditur: facibus serenus  
Aether arridet: plateae viaeque  
Luce inardescunt: ubicumque taedae  
Lumina fundunt.

O dies felix reticenda numquam!  
O dies semper veneranda nobis!  
Gaudiis plena, et redeas quotannis  
Clara triumphis!


O mihi longum liceat per aevum  
Nomen, o Virgo, celebrare sanctum,  
Et tuum votis precibusque praesens  
Poscere numen!



IN

SANCTUM IOSEPHUM

PUERI DEI CUSTODEM, BEATAE MARIAE V. SPONSUM.



Maxime o Divûm, jubar inter omnes  
Caelites, magnum decus angelorum,  
Virginis Tutor, Puerique Jesu  
Altor, Ioseph ;

Huc ades dum Te canimus frequenti  
Aede, dum clara redeunte luce  
Heic tuos effert pia gens quotannis  
Laude triumphos.

En odoratis redimita sertis  
Thure fragranti calet undecumque,  
Atque solemnî decorata cultu  
Fulgurat Ara.

Pulsat edoctis digitis Magister  
Organa, et voces resonant canorae,  
Et Sacerdotum venerandus Ordo  
Cantica pangit.

Aeraque hinc reddunt sonitus tubarum,  
Et simul plectri coeunt, melosque  
Fila dant concors animosa, et omne  
Flabile vulgus.

O favens adsis, Pater alme, Joseph,  
Qui Deo et sancta minor ipse Matre  
Virgine, in caelo frueris superna  
Sorte beatus!

Corde Tu simplex, pius atque justus,  
Integer vitae, maculaeque purus,  
Gloria clarus, meritisque dives  
Anteis omnes.

Pulveris multum, patiensque solis  
Quanta pro Jesu peragrans tulisti!  
Quantã pro Sponsa tolerare vitae in-  
commoda adactus!

Sed Tibi virtus peperit laborum  
Praemia in terris. Morituro uterque  
Adfuit dicens Tibi verba amoris,  
Verba salutis.

Te impetus dulcis rapuit: serena  
Lumina oclûsti placido sopori,  
Et petens caelum exhilarans reliquit  
Spiritus artus.

O nimis felix! Superas Olympi  
Jam colis sedes! Valida tuere,  
Quaeso, sinceros ope, sospitaque,  
Dive, clientes.



Salve io: circum tua facta, Joseph,  
Insonant: audi populos canentes:  
Quaeque Te summum celebrat Patronum  
Aspice gentem.

EX ITALICO IOSEPHI MARIAE DE PIRO BAR. EQ.

VIRI ERUDITIONE AC DOCTRINA PRAECLARI.

AD SUMMUM PONTIFICEM

PIUM IX.

ODE.

Edita typis anno MDCCCXLVIII.

Quando Italia partium studiis agitabatur.

Rupe ab alpina siculos ad agros  
Ecquis horrendo reboans tumultu  
Tollitur clamor, quatiens tremore  
Corda tyrannûm?

Gentis haec est vox hilaris fremensque,  
Quae diu tristi exagitata luctu,  
Mox suis fauste videt adfutura  
Saecula votis.

Audiit Numen gemitus vocantum,  
Audiit fletus; miseransque sortem  
Annuat, caris Italisque Patrem  
Illico misit.

Hunc Amor circum, Bonitas et Aequum  
Pro ensibus, proque agminibus tuentur:  
Dia vis servat: petulans quid audet  
Volvere contra?

Jam PIUS fregit populis catenas,  
Ipsa quas struxit violens Tyrannis:  
Saevit haec frustra, ignivomisque diris  
Concita frendet.

E Petri celsa Cathedra, refringent  
Quam nec humanae, stygiaeve vires,  
Civium prudens docuitque regum  
Jura Magister.

Falsa diffingens documenta, monstrat  
Quomodo (et totum stupefecit orbem!)  
Alma Libertas sit amica sacrae  
Relligioni.

Dux et immensae Pater ipse gentis,  
Qua coit Christi genus, universos  
Excipit, gaudens scelus increpare, ex-  
tollere justos.

Imminent cheu mala quanta vobis,  
Si obsequi aeterno imperio abnuetis!  
Vos manet, Reges, misero tremendum  
Funere fatum.



Providi exemplum Patris aemulantes,  
Liberos tandem sinite ire cives:  
Nuntius vos nam alloquitur superni  
    Numinis ore.

Sanctitas, Jus, Imperiumque vobis  
Inferunt bellum: ad sua signa cunctos  
Convocant, scripta in quibus haec leguntur:  
    JURAEQUE et AEQUUM.

Quae favent vobis acies, et ipsae  
Sanguine effervent italo creatae:  
Jamque pro dulci patria vicissim  
    Oscula miscent.

Haud sinent certe tot abire inulta  
Crimina: in vos exacuent cruentae  
Tela: cum turmis miserae cadetis  
    Victimae iniquis.

Austria ecquidnam poterit? Labore  
Nititur vano: tumidos superbae  
Austriae concors animos retundet  
    Itala proles.

Tempus est jam vos populis dedisse  
Ultro, quod deinceps dabitur subacti.  
Cedite: et vestrum super astra tollet  
    Gloria nomen.

Fallitur quisquis putat esse regem  
Lege majorem, et licuisse cuncta:  
Ipse rex sane, populusque legi  
Subditur uni.

Quid cruces, quidnam valeant bipennes?  
Civium mentem, studiumque crescens  
Quis tenet? mentes et habere corda  
Libera fas est.

Pacis optatae jubar o coruscet!  
Hoc PIUS mandat: sileant tumultus:  
Pace concordēs trucibus movete  
Hostibus arma.

Ceu patrem cari geniti coronant,  
Vos et armati populi tuentur;  
Et fide junctos patrioque amore  
Nemo domabit.


Quod PIO Tu tam bene credidisti  
Grande opus tandem, Omnipotens, facessas!  
Itala et sospes Tibi gens perennem  
Concinet hymnum.

IN OFFICINA MEDICAMENTARIA.

Quando necesse est tunc medicinis utere nostris:  
Damna sed ipse scias, plurima abusus habet.



OB ADVENTUM  
PAULLI APOSTOLI  
IN INSULAM MELITAM  
COMPLETO SAECULO XVIII.



Expectata dies redit:  
Post octo atque decem saecula revertitur  
Nobis lux celeberrima.  
O quantis hodie sacra paratibus  
Aedes divitibus nitet  
Paulli! O textilibus qualibus aureis  
Splendet! Musica recreat  
Argutis animos cordaque cantibus  
Urbis compitaque et domus  
Aulaeis, facibus, floribus emicant.  
At quis singula nam feret?  
O sol flammiferis omnia qui rotis  
Lustras fulgura jactitans,  
O quid sol hodie, quid Melitâ potes  
Nostrâ visere pulcrius,  
Seu vasto auricomus gurgite nasceris,  
Seu tu praecipitans equos  
'Tranquilla occiduos mergis in aequora?  
Hunc magnum, Melite, tuae  
In prisco historiae scribe volumine,  
Paullo scribe diem sacrum,  
Qui nulla rutilet nube reconditus  
Aevo non numerabili,  
Quem quandoque legant gens pia posterî,

Cognoscantque patrum fidem,  
    Exemplisque patrum fortius haereant.  
O salve inelyte Apostole,  
    Salve Paulle Pater, qui penitus face  
Dii numinis aestuans  
    Venisti Melitae littora naufragus  
Veracem ore tonans Deum !  
    Hausit gens facilis tum sacra dogmata,  
Et fana impia proruens  
    Effregit statuas atque piissima  
Vexillum crucis extulit.  
    Transacto interea tempore plurimo  
Quam perceperat integram  
    En fidus populus servat adhuc fidem,  
Et Te prosequitur prece  
    Patronum atque Patrem jugiter invocans:  
Nec Tu deseris, Optime,  
    Gentes Omnipotens quas dederat Tibi.  
O cui nulla beatior,  
    O cui sorte datum numine protegi  
Tam magni Patris et frui  
    Tanti praesidio Vindicis et Ducis,  
Felix gens ter et amplius!  
    Sis fidens animi, nil metuas mali:  
Macte, o, spemque reponito  
    In Paulo : Melitae propitius favet:  
E caelo ipse suam tegit  
    Sub patrocinio progeniem suo,  
Et caros genitos amat  
    Quos Evangelio jam genuit Deo,  
Ergo dicito Numini  
    Laudes munifico qui ad tua littora  
Paullum naufragio impulit.  
    Virtus ipse tua est et tua gloria,



Ipsè est una tibi salus:  
Pro tanto meritas munere gratias,  
O gens grata Deo refer:  
Donec ducta fide ad fulgida limina  
Caeli pervenies, ubi  
Paullum gemmifera fronde videbimus  
Cinctum, gloria et inclytum  
Astantem in mediis aligerum choris:  
Omnes nos simul aureis  
Aeternum citharis tum resonabimus  
Patrono atque Patri melos,  
Et Paulo dabimus jugia cantica.

---

SUB EMBLEMATE

S. PAULLI AP.

Te nos, Paulle, Patrem et Patronum jure vocamus;  
Te duce, nam nobis hostis obesse nequit.

---

SUB STEMIMATE

PII IX. P. M.

Sancta ubicumque Fides colitur, Pie maxime regum,  
Tu geris in terris scepra vicesque Dei.

---

SUB CRUCE JESU.

Ecce Crucem in qua noster amor Deus ipse pependit:  
Hanc colite: haec vobis causa salutis erit.

---

SUB EFFIGIE

HOMINIS SUPERBISSIMI.

Ne quis fortunam amentum dominam esse negaret,  
Hunc stultum ad summum sustulit ipsa gradum.

AD

S. HELENAM IMPERATRICEM

INSIGNEM BIRCHIRCARENSIUM PATRONAM

H Y M N U S.

Optata lux solemnibus  
Fulget sacrata gaudiis:  
Adeste, gentes: HELENÆ  
Laudes canamus supplices.

O Imperatrix maxima,  
Laetis triumphis inclyta,  
Coelo tuere servulos,  
Precesque nostras suscipe.

Afflata dio spiritu  
Culmen petisti Golgothae,  
Saevoque ab hoste Tartari  
Palmam tulisti nobilem.

*O Imperatrix etc.*

Multis abhinc Crux saeculis  
Terris latebat obruta:  
Damnum Fideles fleverant:  
Tandem sed ipsa repperis.

*O Imperatrix etc.*

Hinc en salutis anchora,  
Redemptionis tessera,  
Orbis ad usque limites  
Crux sacra ubique fulgurat.

*O Imperatrix etc.*



Crux illa quondam scandalum  
Novâ refulsit gloriâ:  
Gemmisque et auro carior  
Frontem revinxit Regibus.  
*O Imperatrix etc.*

Divûmque fana destruens  
Turbas fugasti daemonum,  
Veroque templa Numini  
Judaea vidit surgere.  
*O Imperatrix etc.*

Duris miserta casibus  
Stipes egenis erogas;  
Largamque spargens copiam  
Exhauris omne aerarium.  
*O Imperatrix etc.*

O ter beata et amplius,  
O fortis una femina,  
Victis Averni fraudibus  
Ab hoste da victoriam.  
*O Imperatrix etc.*

Patri, simulque Filio,  
Tibique sancte Spiritus,  
Sicut fuit, sit jugiter  
Saeclum per omne gloria.

~~~~~  
IN CLIBANUM

HOMINEM AMBITIOSISSIMUM.

Quid juvat ambitiose meos versare libellos  
Clibane, nulla tuum pagina nomen habet.  
Nomina sunt tua dumtaxat scribenda fimentis:  
Fumas nonne velut foetidus ipse fimus?

## DESCRIPTIO

Diei festi solemnisque kleri Processus  
quo annua redeunte commemoratione  
Prodigialis Naufragii S. Paulli Apostoli  
apud insulam Melitam  
Melitensium Patroni simulacrum  
Opus eximio elaboratum artificio  
frequenti populo acclamante  
per publicas civitatis Vallettae vias portatur.

### C A R M E N.

Annua jam redeunt Paulli celebranda quotannis  
Festa, reditque dies numquam reticenda futuris  
Saeclis, exoptata dies qua littora Paullus  
Naufragio mire adpulsus melitensia venit:  
Clara dies, facilem Melite qua praebuit aurem,  
Deleto idolùm cultu, divina docenti  
Dogmata Evangelii, certam hausit et ipsa salutem  
Barbara terra, Deoque altaria cunctipotenti  
Exegit. Populus jam jam sua gaudia vultu  
Expromens, celebrare studet solemnia Patri  
Patronoque suo. At poterit quis voce paratus  
Dicere, magnificasque canendo exponere pompas  
Festi tam magni? Paulli laetabilis aedes  
Strata micat jam purpureis ubicumque tapetis,  
Floribus ornata atque argento altaria splendent,  
Singulae habent arae lychnum fulgore coruscum:  
In medio templo solis radiantis adinstar  
Fastigio e summo moles chrySTALLINA pendet,  
Cuncta illustrans innumeris praeFULGIDA flammis.  
Hinc inde auratis sedes bombycina floccis,



Textilibusque aureis belle geminata resurgit,  
Atque damascenis rutilans Ecclesia pannis  
Spectantum exhilarat mentes oculosque moratur.  
Campanae interea multo resonante boatu  
Per triduum accersunt gentem: gens undique currit:  
Concio fit de Paulli adventu: musica deinceps  
Auditur suavis, simul et dulcissimus hymnus  
Flexivaga canitur multorum voce canentum:  
Inque vicem populus respondet vota Parenti,  
Patronoque suo fundit de corde precesque.  
Transacto triduo, ante diem solemnia festum  
Majori cantu primo de vespere fiunt.  
Devexo hesperii solvit jam margine ponti  
Occiduos sol pronus equos, atque aera purum  
Obnubit texto astriferis velamine flammis:  
Et facibus, taedis, lychnisque viae undique lucent,  
Luminibus caelum arridet, caelumque videtur  
Laetari innube. O quaenam spectacula nostris  
Vidimus in terris! quaenam ignea lumine tanto  
Tempestat! replent ellychnia multa fenestras,  
Mularumque viae tam clara luce refulgent  
Taedarum, ut nitidum ipse diem fulsisse putares.  
Interea commistum confluit undique vulgus,  
Turba ingens, perque anfractus, perque ampla viarum  
Cuncta viri replent confusoque ordine matres.  
Hinc oritur plausus fremitusque et cuncta tumultu  
Complentur dulci: concors fremit ordine longo  
Dissidium et resonat fidium numerosa propago.  
Dant caelo ingentes sonitus animosa tubarum  
Aera procul: reboat festis clangoribus aer,  
Gaudia laetitiamque simul circum omnia spirant.  
Crastina jamque dies surgit clarissima fastis,  
Atque ubi flammiferi apparet praenuncia Phoebi  
Purpureis redimita comas Aurora rosetis,

Queis jam Gregorius numeris sua nomina fecit,  
Dum varias voces segetis moderatur ahenae  
Docta manus, modulantur cantica matutina.  
Nec solum Paullum verbo veneratur, adorat  
Gens pia, gens Melitaea Deum, ast de mane recenti  
Turmatim ad sacrae multa pietate synaxis  
Accedit mensam et caelesti pane cibatur.  
Induit augustum posthaec tunicatus honorem,  
Facturusque sacrum petit Archipresbyter aram,  
Hinc atque inde latus stipatus utrumque ministris.  
Ni videas oculis, poteris cognoscere numquam  
Quanta sit illius solemnis pompa diei!  
Civis mirabundus et advena talia spectat,  
Quae vix septenni celeberrima vidit in arce  
Roma, Petri veneranda domus. Sacro inde peracto,  
Posteaquam medium Phoebus cursu hauserat orbem  
Ecce preces vespertinae modulamine vocum,  
Dulcisonisque modis plectri lituique canuntur,  
Totaque festivis resonat concentibus aedes.  
Solemnis templo egreditur Processus: in auras  
Plurima panduntur vexilla, crucesque feruntur.  
Tum gemino varii procedunt ordine Fratres,  
Omnes gestantes ceris ardentibus ignem.  
Quis turbam valeat numerare? frequentia crescit,  
Agmine spectantium jam plena est semita cuncta.  
Deinde figurato rutilant invecta metallo  
Aurea signa crucis: lux fulget cerea circum,  
Candenti indutus sequitur velamine Clerus,  
Atque sacerdotum longissimus ordo: Senatus  
Tandem succedit, Melitae decus, ornamentum,  
Magna chlamys cui ornat scapulas, crux aurea pectus.  
Ipse Pater medium supereminet arduus agmen  
Pontificali humeros vestitus cyclade, totam  
Quam phrygium distinguit opus, quamque inficit aurum,



Mollia quamque animant vario subtegmine fila,  
Reliquias Paulli manibus gerit, undique circum  
Plurimus accensis ellychniis cereus ardet,  
Vitreaque ocllulis fulgent specularia flammis.  
Jamque pius coetus ceris ardentibus aede  
Exierat sacra, atque redux in culmine celso  
Callis, qui nomen traxit de nomine Paulli,  
Apparet Statua et nubes tetigisse videtur.  
Effigiem illa refert Paulli, quam octona virorum  
Brachia sustentant, opus admirabile Gafae,  
Mirum opus, os Paulli atque habitus imitata loquentis  
Effigies. O quantus honos, o quantaque vultus  
Gratia, majestasque micat! Prolixa capillis  
Fluctuat ad pectus barba, os hiat, ardet ocellus!  
Laeva tenet librum et districtum sustinet ensem,  
Utque decet fantem, se dextra attollit in altum:  
Propter flamma pedes ardet, qua vipera quondam  
Emergens digitos petiit teterrima Paulli.  
O quaenam heic festae surgunt spectacula scenae!  
Et pueri atque senes, juvenes pariterque puellae  
Extollunt palmas, hilaresque ad sidera voces:  
Quisquis io, magno plaudit clamore, triumphe,  
Et resonant late muri et Melitae alta domorum.  
Gestantes Statuam interea sub fornice sistunt.  
Semita cuncta micat, populorum flumine callis  
Enatat hinc inde, et geminantur murmura vocum:  
It caelo plausus, responsant limina caeli,  
Arridet faculis polus, et quot millia gaudet  
Taedarum, totidem potuisse ostendere soles.  
Ut solet aestivo rutilantibus undique Olympus  
Tempore sideribus fulgere, oculosque beare  
Spectantum: haud aliter caelo aemula terra refulget,  
Invitatque viros, simul invitatque puellas.  
Interea graditur coetus longo ordine: bini

Omnes procedunt: gens gliscit, solvere grates  
Alternasque Deo congaudet psallere laudes;  
Insimul igne lacessita edunt aera fragorem  
Festivum et feriunt aures explosa Tonantis  
Bellica tormenta horrisonos imitata tonitrus.  
Tinnitu late loca tintinnabula complent,  
Perque vias animos recreant modulamina vocum,  
Tympana dant strepitus iteratis ictibus, auras  
Dulcisonus rumpit lituus, clangore sonanti  
Buccina dat sonitus, mentesque ad gaudia cogit.  
Heic iterum fremit, et densissima turba triumphe  
Clamat io, Paulle, caelum reditura remittit  
Murmura plaudentum repetens io Paulle triumphe:  
Linteolos, pileos pandens volvensque per auras,  
Concutiensque manus, plausus geminansque sonoros,  
Et corde atque animo Paullum clamore salutat,  
Terque quaterque suum Melite laetissima Patrem,  
Tantaque cum lacrimis populus sua gaudia miscet.  
Moenia non sic invectus romana triumphis  
Triplicibus Caesar, veluti inter juba Paullus  
Laetitiamque suae atque incedit gaudia gentis.  
Jam via Paullino teritur magis edita clivo,  
Floribus et foliis difunditur undique tellus,  
Thuribula igne calent, redolens ad sidera fumus  
Ascendit, Statuamque super labuntur ab alto  
Florea sarta: ornant cunctas aulaea fenestras  
Et quocumque tuos vertas stupefactus ocellos  
Omnia laetitiae, teneri dant signaque amoris.  
Hinc omnes inter plausus vocesque canentum  
In templum subeunt: heic flexo poplite numen  
Supplicibus poscunt votis, Paillumque precantur.  
O Melitae gens, o fortunatissima tellus,  
Tam magnum Patrem et validum sortita Patronum!  
Quidve timere mali poteris, Melitae insula felix,



Totus terrarum mundus licet illabatur  
Praecipiti exitio, et vastis convulsa ruinis  
Omnia dissiliant, Erebique tremenda potestas  
Infremat et frendens odio te perdere tentet?  
Tempore tu pestis, tu quando bella fremebant,  
Tuque premente fame et morborum agitante caterva,  
Dum posebat aquas et terra exarserat aestu,  
Tu venerande Pater, duris succurrere rebus  
Venisti, et nostri confestim abiere labores.  
Fulta patrocínio Paulli, tibi copia frugum  
Manavit, Melita, et caelo effluxere favores  
Te super immensi, clarosque ex hoste triumphos  
Duxisti victrix. O Paullum perge fidelis  
Observare tuum, et tu felicissima tellus  
Nil damni pateris, cunctoque bono usque frueris.

TRES PROPINATIONES

DICTAE EX TEMPORE

DIE XXX. MARTII AN. MDCCCLXIV.

AD PETRUM FONTANA S. J.

SACRUM ORATOREM

OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTUM.

I.

Nou ego si mihi vox etiam foret aurea possem,  
Fontana, ingenium concelebrare tuum.  
Nam dictis animos rapis et fera pectora frangis:  
Phoebeis fidibus tu celebrandus eris.  
O poclum plenum! fiat lethale venenum,  
Ni dico verum, hoc mihi dulce merum.

AD GEORGIUM ERRINGTON D. D.

ARCHIEPISCOPUM TRAPEZUNTINUM.

II.

Te licet haud novi, o excellentissime Praesul,  
De te clara tamen plurima fama tulit.  
Hinc tibi, Vir docte, haec dulcissima vina propino,  
Et tibi sit felix laetaque vita precor.

QUANDO ALLATUS FUIT

PULLUS GALLINACEUS INDICUS

EXUBERANTIS PINGUITUDINIS.

III.

Bellua magna profecto gallinaceus hic est:  
Sed (\*) Bullock Webster bellua major adest.  
Discrimen pariter magnum est hunc inter et illum:  
Hic nempe insipidus, sed nimis ille sapit.

IN PONTIUM.

Quam sis vanus homo, quam vilis, vidimus omnes  
Quando mutavit sors tua dura vices.  
Tunc tu mores monstrasti ingeniumque pusillum:  
Hinc te offers nobis undique ridiculum.

---


(\*) Gulielmus Bullock Webster angulus, scriptor venalis, qui hoc anno vilissimum opus mendacis et injuriis scatens contra Melitenses anglico idiomate edidit.



AD PAULLUM NANI J. U. D.

MUSICOS MODOS DOCTE TRACTANTEM

CYMBALIQUE MODULATOREM PERITISSIMUM.



Paulle, quem diam citharoedus artem  
Dulcium Phoebus docuit modorum,  
Unde tu mulces hominum rapisque  
Corda potenter:

Te suum civem genitumque jure  
Patria appellat: merito canorae  
Artis insignem Melite salutat,  
Paulle, magistrum.

Namque per te relligiosa blandis  
Musica excrevit numeris, supernas  
Qua modis mentes animosque miris  
Tollis ad arces.

Perge honoratum retinere cursum,  
Perge ad excelsam properare metam,  
Paulle: virtutem sequitur perennis  
Gloria semper.

~~~~~  
SUB EFFIGIE

AUCTORIS.

Spretor ego fortunae stultorumque flagellum,  
Ingenio parta est gloria cara mihi.

EX ITALICO ANTONINI TOSCANO DELAURENTIO

EGREGII POETAE CATINENSIS.

**AD S. PAULLUM APOSTOLUM**

MELITENSIMUM PATREM ATQUE PATRONUM.

C A R M E N .

Salvete o nimium felicia littora: Vobis  
Quae jam jam tribus hospitem abhinc humaniter annis  
Terra alia (o mihi dilectissima terra!) profectum  
Laeta recepistis fato me percitum acerbo,  
Hocce meum Carmen grati offero pignus amoris;  
Utque fuistis vos semper carissima caelo,  
Littora fortunata nimis, jam tempore ab illo  
Cum dius Sol eois ascensus ab oris  
Luce nova hanc terram lustravit et insperatum  
Divinae fecit Fidei splendescere lumen  
Hinc canere incipiam. En ut Paullus missus ab alto  
Ad te brachia protendens in littore, ab undis  
Sospes ubi evasus tuto se se ipse recepit,  
Grandia virtutis, Melite, vestigia signet:  
Hinc tu pulcra micas multis ditissima donis  
Haud defluxuris, ast immortalibus effers  
Una alias inter caput omnes, Insula felix,  
Quas Neptunus obit, Titan hilaratque coruscans.

Jam tenebris coeque sepulta erroris abyssu  
Quondam numinibus fana atque altaria falsis,  
Vesanum cultum, obscoenos ritusque sacraſti;  
Et quoque adhuc tu barbara, adhuc inculta jaceres,  
Absque Fide, vitae quae regula lumine certo  
Signat iter caeli cursumque intendit Olympo,  
Aeternique viam Veri docet, atque recludens  
Sacrarum, aeternas gazas, penetralia rerum,



Dat possint homines vitam complere beatam :  
Sed tandem Omnipotens summo de vertice caeli  
Te inspexit, Melite, et miserans tua damna, Magistrum,  
Electum tibi Vas mittit, carissima tellus,  
Doctoremque orbis, Fidei qui lumina sanctae  
Gentibus allaturus erat. Mirabile dictu!  
Cursum ad romuleam Paullus direxerat urbem  
Navi aegyptiaca, ut Christi documenta referret :  
Aequora tuta silent, zephyrusque faventibus alis  
Evolat et nimborum frenato agmine vinclis,  
Prospera ridebant laetantibus omnia nautis.  
Magnanimus sperans secum permulta volutat,  
Atque putat posse optatam contingere metam  
Ulterius pergens, uno obtutu adspicit illic  
Tollit ubi alta caput toti quae praesidet orbi  
Urbs regina Tiberis terrarumque, inclyta Roma,  
Et Capitolino fulgentem in culmine clara  
Luce, atque undique collustrantem lumine mundum,  
Et splendore novo terras ubicumque replentem,  
Invictam sanctamque Crucem pius ore salutat :  
Et circum illam pronos suppliciterque rogantes  
Indos atque Scythas cernit, regemque superbum  
Fraterno servum stringentem ad pectora amore.  
Atque ubi sol primo auricomus consurgit Eoo,  
Ac ubi decidiuus se praecipitatur in undas,  
Diruta fana videt, simulacraque fracta deorum,  
Nec cadit humanae amplius aris victima carnis,  
Ceu Christus quondam in ligno Crucis hostia pacis,  
Proles Unigena intemeratae Virginis, Agnus  
Ille Dei qui sanguine crimina nostra piavit.  
Numen at omnipotens, hominum pater et superum rex,  
Littora sollicitae cui sunt melitensia curae,  
Nubibus obducit caelos et fluctibus aequor  
Excitat et ventos vinclis et carcere solvit,

Perculsamque ratim saxa in scopulosa retorquet,  
Quae velut adverso impulsa impete mergitur undis.

Quis memoret subitos ut naufraga turba nefastae  
Illius noctis nimbos, interque tenebras  
Fluctibus huc illuc agitata tumentibus erret,  
Vorticibus demersa nigris, tantaque ruinae  
Vi oppressa, infelix! immenso exhausta labore  
Clamoresque precesque et vota ad sidera tollat?

Ast ubinam effugium? Vitae spes, unde salutis,  
Si labor humanus studio vanescit inani,  
Praesentemque viris intentant omnia mortem?

Divus ad haec animo constanti Nuncius astat,  
Pectoraque alloquiis moerentia mulcet amicis.  
Tum refovet vires et nisus nisibus addit  
Voce animata cohors; spumantes denique rupes  
Arripit, et lacerato habitu, madefactaque fluctu  
Per cautes scopulosque abruptos anxia anhelans  
Et manibus pedibusque adnixa potitur arena.

O Melitae gentes! animum ad pia flectite sensa!  
Vos pietas vincat, miserisque a fluctibus aegre  
Evasis nuper faciles solamina ferte:  
Ite agedum, indignaeque hominum miserescite sortis.  
Debilis et madidus jacet ipse in littore nudo  
Nimbosae tempestatis ludibria Paullus,  
Nuncius ille Dei qui vos expectat: ab umbris  
Perpetuae mortis vos ipse ad caelica ducet  
Gaudia, supremamque dabit contingere metam:  
Numinis huc advenit Nuncius, abdita mentis  
Pandere divinae jussus: vos ille docebit  
Ritus atque novos mores, legemque novamque  
Instituet sanctamque dabit traducere vitam.  
Et Fidei radio mentes et pectora sacris  
Aestibus immortalis Flamini inflammabit.  
Ut quoque magnus in aerumnis vos nonne videtis



Et placidus perstet, laetoque refulgeat ore,  
Majestasque animae invictae resplendeat olli?  
Totque ejus signis impressam haud cernitis ipsi  
Diam virtutem? Lethales nonne per illam  
Intentat morsus frustra teterrimus anguis,  
Sibilat horrendum, linguam vibratque trisulcam,  
Vipereumque caret genus atra tabe veneni?

Tu, Publi, antiquae stirpis generosa propago,  
Nonne vides dira moriturum febre parentem  
Quem tetigit dextra revocatum ad munera vitae?

Heus ubi vos estis? huc huc vos eja venite,  
Vos quibus insano stant turgida pectora fastu,  
Naturae heroes veluti miracula et artis  
Stulto admiranda et coeco tantummodo vulgo!  
Vos injusti raptores quos fraude scelesta  
Convectare juvat praedas et vivere rapto,  
Et diris spoliare domos et templa rapinis,  
Semperque ingenti late loca cuncta parati  
Et luctu implere et lacrimis diffundere terram,  
Probrosam quibus humano diadema coronat  
Sanguine turpatum crines et pulvere foedum!  
Quid sunt gloriolae vestrae, cantataque facta  
Quid prae illis sunt quis incendit Spiritus almus  
Magnas in terris animas et vividus effert  
Seque facit majores ad sublimia tollens?  
Squallida lux quam dira vomunt incendia circum,  
Lux quae fumosos nimbos atque horrida nubes  
Inter pulvureas lux horrendissima nobis  
Tristius exustas reteggit monstratque ruinas.

Ut Melitae inculta, aspera, inhospita littora venit  
Magnanimus Paullus, tenebris jam jamque fugatis  
Purior effulget lux solis, et aurea spargit  
Undique lucentes radios, totamque benigno  
Germine foecundat terram: viridantis adinstar

Plantaeque electae, tendens quae ad sidera ramos  
Gliscit et effusis stabilis radicibus haerens  
Obvia ventorum furiis, expostaque nimbis  
Ipsa immota manet: pariter celsissima crescit  
Alma Fides, tamque assurgit magis usque decora,  
Jugiter ut populus hic gaudeat atque perenni  
Fultus jucunda ipsius umbra pace fruatur.

O Salve nimium felix, Melitae insula salve,  
Insula cara Deo! quamquam gens ethnica saevit,  
Et rabido debacchatur vesana furore,  
Exsulta, et tibi quae largitus magna supremum  
Numen muneribus fruere et placidissima gaude.  
In nigra penitus quae abdit caligine quantum  
Magnarum rerum totus complectitur orbis  
Tu rutilo jubare ardentissima Stella micabis.  
Tempus erit quo pugnanti pro nomine Christi  
Ipsa novum praebebis tutumque hospita portum:  
Illiusque manu propter tua moenia multo  
Impia Turcarum strata exitio agmina cernes.  
Nec satis; audi iterum. Inconcussum, immobile, sacrum,  
Augustum Solium, quo dii Pastor ovilis,  
Sceptra gerens triplici crines diademate cinctus,  
Petri Successor, Pater et Rex insidet orbis,  
Dirae, prodigium cunctis immanius hydriis,  
Sacrilego tentabunt ausu invadere gentes.  
Et jam tempus erit, quo vel truculentius agmen  
Tartareum erumpens, hominum impia turba malorum,  
Vires et fraudes, artes atque aggeret iras,  
Accumulans, molem veluti ingentem, omnia in unum,  
Progrediaturque ut cum maxime atroxque minaxque  
In mitem, placidum Virum, amicum pacis, inermem,  
Augustumque Deus Solium quod tradidit olli  
Dejicere, infandum! coeco conamine tentet.  
At minime: Satanae numquam superare valebunt



Ira furorque ferox, rabiesque effrena suorum ;  
Juravit Deus! et quamvis sua lumina solvat  
Moerens in fletus, oppressa agitataque poscat  
Auxilium, intemerata Dei Sponsa inclyta Jesu ;  
Attamen insignes ducens ex hoste triumphos,  
Usque magis veneranda et formidata redibit  
Semper ab excidio et diro a certamine major.  
Tuque tenax Fidei et Paulli verba usque recordans,  
Qualis Mater amans miseris tum brachia tendes,  
Excipies profugos gremio oppressosque fovebis,  
Qui horrida ne videant saevae spectacula scenae  
Irae inimicae se se subducentque furori.

Laeta hodie exulta, o nimium Melitae insula felix,  
Et modo quale tibi pietas tua dictat amorque,  
Accine festivum divo Paulo accine Carmen,  
Paullo qui virtutis majorem explicat alam,  
Et validam extendit supra tua littora dextram,  
Districto gladio minitantes ipse scelestae  
Aggressus turmae et fera verbera fortiter arcet,  
Natis succurritque tuis concorditer urbem  
Ut conspirantes properent defendere sanctam,  
Magnanimi objiciant hosti sua pectora, ad arma  
Ocyus impavidi currant, si quando necessum,  
Seque ferant alacres cursu alite quo vocat illos  
Et jurata Fides et honor venerabilis Arae.

AD S. PAULLUM AP.

I.

Fidos, Paulle, tuos serva impio ab hoste clientes,  
Nostros servasti sicut ab angue patres.

II.

Nostros, Paulle, patres servasti ex aspide: natos  
Aspide pejori protege ab hoste tuos.

**SANCTISSIMAE VIRGINIS MARIAE**

**AD PUERUM IESUM**

VAGIENTEM IN CUNIS

NAENIOLA.

Dormi Jesu, dormi belle,  
Dormi tandem mi puelle,  
Desine vagitibus.

Ipsa dormit rosa odora  
Praeter morem stans decora,  
Clausis halans foliis.

Comitante turba amorum,  
Dulcis requies laborum,  
Veni o blande somnule.

Ad Bethlemicum recessum,  
Age somne, move gressum,  
Eja o somne blandule,

Ah! mi fili, dormi belle,  
Dormi tandem mi pulchelle,  
Pone modum lacrimis.

Quaenam est caussa doloris,  
Fili, finis mei amoris?  
Strictae cingunt fasciae?

Dolor tuus jam mitescat,  
A querelis vox quiescat,  
Oculus a fletibus.

Erit pomum sub pulvillo,  
Si dormitans te tranquillo  
Somno, pupe, dederis.

Mille tibi dabo amplexus  
Si tu in molles somni nexus  
Vincias ocellulos.



O dormisti, Jesu belle,  
Jam dormisti, mi pulchelle,  
Puellorum floscule.  
Quam decorus, quam amabilis ?  
Totus es desiderabilis,  
Electus ex millibus.  
Dormi puer mi tenelle,  
Lacte suavior et melle,  
Infantium optime,  
O adjuro vos pastores  
Lac ferentes, agnos, flores,  
Grata infanti munera,  
Vos adjuro ne turbetis,  
Ne Dilectum suscitetis,  
Donec ipsi lubeat.  
Fluunt lacrimae e pupillis,  
Ast cor aestuat favillis  
In salutem hominum.  
Ipsè plorat, nam per somnia  
Dira conspicit omnia  
Gentis probra perfidæ.  
Spinas, flagra, clavos, crucem,  
Vultum videt mortis trucein,  
Tremittque agnus innocens.  
Sentit ictus fel et sputum,  
Atque comprimens os mutum  
Offert genas alapis.  
Synagogæ blasphemantis  
Tot tormenta illi parantis  
Aspera audit scommata.  
Amarorem passionis,  
Extremique sui agonis  
Dios sentit impetus.

Sed quid ego dormienti  
Somnos turbem insolenti  
Saeva mater omine?  
Ah! mi fili, mi puellule,  
O cor meum, dormi ocellule,  
Parva est tibi requies.

AD SS. NOMINA

IESU ET MARIAE

RHYTHMUS.

Fundamus vota,  
Canamus laudes,  
O gens devota,  
Ne premant fraudes.

Omnes agnoscite  
Prolem tam piam,  
Ex corde poscite  
Jesum, Mariam.

Fili ineffabilis  
Abige neces:  
Mater mirabilis,  
Percipe preces.

Aeterni numinis  
Jesu propago:  
Mater fons luminis  
Magna virago.

Jesu dulcissime,  
O mater pia,  
Fili suavissime,  
Clemens Maria.

Vos super omnia  
Dulces jucundi,  
Prae vobis somnia  
Voluptas mundi.

Nobis precantibus  
Uterque optate,  
Dona invocantibus  
Vos, quaeso, date.

Dulcis memoria,  
Salus, lux, via:  
Vobis laus, gloria,  
Jesu, Maria.



AD SUA CARMINA

AUCTOR.

Quamvis nemo gerit vestrum, mea carmina, curam,  
Carmina nullius fulta patrocínio;

Ite tamen: vos aethereas venistis ad auras  
Infaustis nimium, carmina, temporibus.

Sitque satis vobis lucem inspexisse diurnam,  
Exivisse satis tristibus e tenebris.

Ast hoc vos moneo, fugite alta palatia, quae gens  
Improba, mentis inops, gens ebriosa colit.

Ite: et si male de vobis gens stulta loquatur,  
Ceum scopulum in medio firma manete mari.

Spernite vos stultos quorum est pars maxima: lector,  
Si sapiens, vobis vel satis unus erit.

PARTIS I.

FINIS.

*Corbeil  
Carmes  
C. d. 21*

AVVISO.

Questo fascicolo contenente i CARMi dell'Abate Dr. Giuseppe Zammit, forma la prima parte dell' operetta promessa. Or fra breve si pubblicherà la parte seconda contenente le ISCRIZIONI del medesimo.

L'Editore con questo ultimo fascicolo darà in dono ai Signori Associati il Ritratto dell' Autore in litografia da mettersi in principio del libretto.

L' Editore  
ZEFIRINO MICALLEF.